



**M**Athias natus est Keysserspergij in Alsatia anno 1477. Is post prima linguarum & artium rudimenta percepta, sese ad Academias recepit, & in ijs Magistrorum insignia suis studijs impetrauit. Inde quoque animum ad studia Theologiae adiecit, & diligenti lectione sacrarum literarum usum sibi familiarem reddidit. Postea Argentinam uenit, & sacerdos factus parochus ad S. Laurentium constituitur, anno 1522. Cum autem eo tempore Lutheri doctrina passim innotuisset, Mathias eam cum aduersariorum religione contulit, & approbavit. Itaque publice pro suggestu eam defendere & commendare ptimus Argentinæ coepit. Id cum Episcopus cognouisset, ei diem dixit, & per Geruasium Sopherum ( qui postea Euangelicis accessit, & anno 1525 obiit ) Fiscalem accusauit, uigintiquatuor articulis obiectis, inter quos erant de iustificatione per fidem, de Lutheri defensione, Missa, matrimonio sacerdotum, primatu Romano, & traditionibus humanis. Verum Mathias libro Anno 1523 ædito ad omnes articulos respondit, & se excusauit. Ab eo tempore magna cleri inuidia constanter perrexit, & tandem effecit, ut Argentinæ anno millesimo quingentesimo uigesimonono religio mutaretur.